





PHILOSOPHIA
CHRISTIANA



BR100

S36

1879

V.1

C.1





1080078554

es proprie
Cablot
PHILOSOPHIA
CHRISTIANA

ANTIQUA ET NOVA COMPARATA

AVCTORE

TANO SANSEVERINO

tanæ Ecclesiæ Neapolitanæ Canonico

IN

COMPENDIVM REDACTA

ad usum Scholarum Clericalium

Consentaneum est, ut ancillæ quaedam Reginae
serviant. Hanc igitur assumere doctrinam non
pigeat, quæ veritati famulatur.
S. Ioann. Damasc., *Dialect.*, c. 1.

EDITIO QVINTA LOCVPLETIOR
ATQVE EMENDATIO

VOL. I.

NEAPOLI

APVD OFFICINAM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM
via vulgo dicta SAN-GIOVANNI-MAGGIORE-PIGNATELLI
in aedibus Fibrenianis
MDCCCLXXIX

14448

PHILOSOPHIA
CHRISTIANA

CVM ANTIQVA ET NOVA COMPARATA

AVCTORE

CAIETANO SANSEVERINO

Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonico

IN

COMPENDIVM REDACTA

ad usum Scholarum Clericalium

Consentaneum est, ut ancillae quaedam Reginae
serviant. Hanc igitur assumere doctrinam non
pigeat, quae veritati famulatur.

S. Ioann. Damasc., *Dialect.*, c. 1.

EDITIO QVINTA LOCVPLETIOR
ATQVE EMENDATIO

VOL. I.

NEAPOLI

APVD OFFICINAM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM

via vulgo dicta SAN-GIOVANNI-MAGGIORE-PIGNATELLI

in aedibus Fibrenianis

MDCCCLXXIX

14419

BR100
S36
1879

Huius operis ius proprietatis
in Legum tutela est



NEAPOLI — TYPIS V. MANFREDI

PHILOSOPHIAE ALVMNIS

EDITORES

Christianae Philosophiae Compendium hisce duobus voluminibus inclusum idem est, quod, Episcopis et quamplurimis doctis viris suasoribus, Caietanus Sanseverino, principis Ecclesiae neapolitanae Canonicus, perficiendum suscepit. Sane, postquam edidit quinque priora volumina percelebris illius operis, cui titulus: *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata*, ac in studiosorum adolescentium utilitatem, in quam revera omne suum otium contulit, *Elementa seu Institutiones Philosophiae christianae* concinnavit, omnes ferme Neapolis atque Siciliae sacrorum Antistites hortatores habuit, ut quamprimum, et, qua pollebat, diligentia, philosophicas institutiones tam docte ac eleganter a se exaratas in compendium redigeret.

Elementa quidem ampla et erudita forma, qua gaudent, haud illi brevitati consulunt, quae necessaria est, ut unius anni curriculo adolescentibus tradantur. At iuvenes in sortem Domini vo-

cati, nisi e fontibus sanctorum Patrum et Scholasticorum Doctorum prima philosophiae rudimenta hauriant, impares prorsus sunt, qui naviter studeant dogmaticae theologiae ceterisque sacris disciplinis, tali amico foedere philosophicis consociatis, ut philosophia theologiae ancilla iure merito appelletur et sit. Accedit, quod iis, qui ecclesiasticae militiae nomen dederunt, opus est philosophandi norma latine exarata, praeambula ad sacras scientias; hac praesertim tempestate, qua protestantium placita, per studiorum universitates, lycea, scholas pervadentia, latinum sermonem ab omni, etiam sacrae, disciplinae institutione cogunt exsulare.

Haec omnia animo reputans amantissimus ille studiosae iuventutis Caietanus Sanseverino, Nuntio Signoriello, tunc in archiepiscopali neapolitano lyceo logicae et metaphysicae antecessori, suorumque studiorum constantissimo conlegae, ac modo Canonatu in eadem Metropolitana Ecclesia adaucto, provinciam demandavit eiusmodi Compendium ex his, quae fusius in *Elementis* ab se fuerant pertractata, exscribendi. Utinam potuisset opus, tam bene inceptum, absolutum conspiciere! Verum, ex quo tempore Deus solertem sui administrum e terra sustulit, fidissimus eius adiutor, Signoriello, nec labori, nec industriae parcens, Philosophiae Christianae institutionis compendium eo perfectionis adducere nisus est, ut non modo famae consulere primus sui Auctoris, verum etiam esset philosophiae alumnis perquam accommodatum.

Totum igitur opus in duo volumina dispescitur, quorum unum

subiectivas philosophiae theoreticae partes, alterum *obiectivas* refert. Quae secundum Scholasticorum, in primisque sancti Thomae argumentationes evolvuntur, ita tamen ut hae ex iis, quae a Patribus disputata fuere, obsirmentur, atque inde recentium philosophorum errores refellantur.

Iam in Scholae doctrina pertractanda, consulto nulla alicuius momenti theoria tacita praeteritur, quia tum disciplinas, maxime philosophicas, ea tantum lege in compendium colligere licet, ut in levem non desinant sermonem, tum quia, si Philosophiae scholasticae instauratio idcirco hac nostra tempestate maximopere commendatur, ut contra insolentem, lubricamque philosophandi rationem veluti aggerem struat, integra profecto, et absoluta perspicatur oportet. Neque inde in difficultatum laqueos iuvenes inducuntur, immo vero latior eis ad scientiae adaptionem via sternitur, siquidem ea est Philosophiae scholasticae indoles, ut unum eius pronuntiatum alterius explicationi inseruiat, et fere nullum existat, quod metaphysicis, et theologicis dogmatibus explanandis magno usui non sit.

Porro Philosophiae Christianae Compendium hac digestum ratione iuvenibus edocendis apprime idoneum aestimatum fuisse illud minime obscurum indicium est, quod in plerisque non solum Italiae, sed etiam Germaniae, Galliae, Belgii, Hispaniae, et Americae Scholis adhibitum iam fuerit, adeo ut eius quatuor, brevi temporis intervallo interiecto, satis copiosae editiones exhaustae sint.

At vero *Compendium* istud, ea, qua hactenus exaratum est,

ratione, philosophiae tantum theoreticae partes complectens, tractationem philosophiae moralis, quae hac praesertim aetate maximi momenti est, adhuc desiderandam relinquebat. Hinc ut institutiones, quae philosophicam scientiam ex toto exhiberent, proderemus, scholarum clericalium praeceptores nobis institerunt.

Ad iuvenum igitur commodum, atque religionis et scientiae augmentum contendentes, hac quinta editione, quae tum ob varias emendationes, tum ob quaedam additamenta, tum ob clariorem, qua nonnulli articuli explicantur, methodum superioribus praestat, *Compendium* nitidis typis excudendum in primis curavimus: deinde *Ethicae* elementa ei adneximus, ab eodem peritissimo antecessore Nuntio Signoriello elaborata ac tomis duobus comprehensa, quae, cum eandem, ac in illo, disciplinae rationem praeserant, nostrique Aquinatis doctrinam adversus veteres, recentioresque errores evolvant, *Philosophiam Christianam* ad fastigium perducere nobis videntur.

Neapoli festo die Sacratissimi Corporis Christi MDCCCLXXIX.



M O N I T V M

Statim ac, quae diu ab omnibus concupita, et exoptata fuere, tum Philosophia Christiana cum antiqua et nova comparata, tum Elementa seu Institutiones, et Compendium eiusdem Philosophiae Christianae Caietani Sanseverino nomine in publicum prodire, hinc qui scientiarum periti habentur et sunt, et Auctoris in illis consuecendis diligentiam, et summum iuvenes veras disciplinas docendi studium mirari coepere. Exinde gratulationes factae, laudes tributae; quarum quanta ad ipsum, cum adhuc in vivis ageret, copia pervenerit, vel ex una ephemeride neapolitana La Scienza e la Fede abunde colligi potest.

At licet haec magni facienda, laus enim fuit quae ab iis profisciscitur, qui in magna laude vixerunt; maximi tamen ducenda, quae nulli unquam fuit secunda, utpote a prima Sede tributa, quaque revera summa immortalis PIUS IX P. M., literis Iosepho Sanseverino, volumina sui patris SANCTITATI illius offerenti, Caietani Sanseverino, quem S. S. magno aureo numismate iam donaverat, memoriam cumulabat. Intelligant igitur hanc non esse commendationem vulgarem, si literas a Pontifice Maximo datas hic, post nuncupatoriam epistolam, exscribimus:

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO PAPAE IX

Romani

BEATISSIME PATER

Quae ad sanctos Pedes Tuos sisto volumina, multis abhinc annis Tibi perquam humillime offerre cupiebat Caietanus Sanseverino, Metropolitanae Neapolitanae Ecclesiae Canonicus, ac mei amatissimus patruus. Ille scilicet sacerdotio vix initiatus, cum philosophicas disciplinas ad suos superiores fontes revocandas esse intelligeret, nec labori nec industriae pepercit, ut qua voce, qua scriptis iuvenes praesertim in sortem Domini vocatos christianae philosophiae placitis imbueret. Hinc neapolitani Archiepiscopalis Lycei antecessor renuntiatus in cathedra Logicae et Metaphysicae et postea Ethices professor successus in regia studiorum Universi-

Neapoli constitutus, ac regalis Bibliothecae Borbonicae Scriptor adscitus, totus in eo fuit, ut experimento probaret Sanctorum Ecclesiae Patrum, et Scholae Doctorum, praecipue autem Thomae Aquinatis, philosophiam omni veteri novoque philosophorum systemati longe praestare. Mitto labores ab eo exantlatos ad opus conscribendum, cui nomen *Philosophia Christiana*, quod prodiit nondum absolutum, ceterosque libros ad rectam huius scientiae instaurationem, quos ipse composuit. Unum ipsi in votis erat, totis viribus doctrinam propugnare, quam Apostolica Sedes semper tradidit, hominis rationem in philosophicis disquisitionibus ancillam fidei esse; necnon seipsum suaque omnia scripta Tibi, BEATISSIME PATER, Tuoque irreformabili iudicio prompte libenterque subiicere.

Verum quod patruus morte inopinata praeventus absolvere nequivit, eius fratris filius, minimus inter Neapolitani Cleri Presbyteros, audet implere, Tua summa benignitate confisus. Quae autem in opere *Philosophia Christiana* inscripto desiderabantur, magna ex parte praestitit Nuntius Signoriello, presbyter, et Caietani Sanseverino in cathedra Logicae ac Metaphysicae Neapolitani Archiepiscopalis Lycei successor, eiusque fiddissimus interpres. Qui vestigia magistri premens, ipsam *Philosophiam Christianam* in compendium redexit, omnium huius scientiae cultorum, cum intra, tum extra Italiam, suffragio probatum.

Munusculum, qualecumque demum sit, Tu, BEATISSIME PATER, dignanter excipe, atque Apostolicam Tuam Benedictionem, quam in suffragium animae mei Patruum etiam atque etiam imploro, ipsi Nuntio Signoriello, mihi ac toti meae familiae paterna Tua charitate largire, dum ad Tuos sanctos Pedes provolutus, eos omni cordis affectu deosculor

BEATITVDINIS TVAE

Neapoli

in Festo Immaculae Conceptionis B. M. V.

an. 1869

Humillimus in Christo Filius

Joseph Sanseverino

Presb. Neap.

Cui studiosè admodum et animo paterno SANCTITAS SUA rescripsit:

Dilecto Filio Presbytero Iosepho Sanseverino

Neapolim

PIVS PP. IX.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem. Quantum adlaboraverit doctissimus patruus tuus verae philosophiae restituendae, quantasque curas impenderit iuveni Clero fingendo ad sanae religiosaeque scientiae principia; sicuti ceteris, sic Nobis adeo exploratum erat, ut eum plurimi faceremus, et doleamus adhuc, ipsum Nobis et severiorum disciplinarum incrementis fuisse subreptum. Eo tamen solatio recreamur, quod, cum solidae doctrinae accuratoque inventutis excolendae studio iungeret eam mentis aciem et prudentiam, qua variam ingeniorum indolem facile discerneret; non huius tantum aut illius peculiaris partis, sed universae philosophicae ac theologicae scientiae propectui per alumnos suos prospicere potuerit, uti patet ex illorum lucubrationibus, qui ab ipso instituti, Neapolitanum Clerum in praesentiarum exornant. Qua de re, etsi ille, dum in humanis agebat, pleraque sua scripta Nobis obtulerit, acceptissimam habuimus omnium collectionem a te Nobis nuper exhibitam; eo vel magis, quod amplissima de christiana philosophia tractatio ab auctoris obitu intercepta nunc absoluta proferatur, opera discipuli olim eius, hodie vero meritissimi de scientia professoris sacerdotis Nuntii Signoriello. De quo sane obsequii et amoris officio erga praestantissimum praeceptorem dum illi gratulamur, pergratum

tibi profitemur animum ob munus, cum pretio suo, tum praeclari auctoris memoria Nobis carissimum. Omnia vero tibi fausta adprecantes, caelestium donorum auspiciem, et paternae benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 22 Ianuarii 1870.

Pontificatus Nostri Anno XXIV.

PIVS PP. IX.

Verum non minori laude dignatus est loqui de operibus Sanseverini Successor PII IX, LEO XIII, feliciter regnans. Ipse enim pro summa sollicitudine, ex qua extimulatur, ut Clerus Catholicus ad studia philosophica et theologica recte informetur, quo facilius contra hodiernos Fidei Christianae hostes possit depugnare, nullam dimittit occasionem Episcopis insinuandi et commendandi Aquinatis doctrinam. In suis vero familiaribus sermonibus Institutiones philosophicas nostri Canonici pluries laudibus cohonestavit; quin imo XIV calend. octobris decursi anni (1878) Episcopo Lyciensi aliisque viris ecclesiasticis illius Dioecesis aiebat: «Bramo che sieno introdotte ne' Seminari le Istituzioni filosofiche del Canonico Sanseverino. L'è questa una gloria del Clero Napolitano che cercò efficacemente di ridurre e richiamare le scienze filosofiche alla vera e sicura norma, alla loro forma esatta ch'è appunto la Tomistica. Ci compiaciamo che nel Seminario di Lecce se ne sieno introdotte le Istituzioni, come è Nostro desiderio, che in tutt'i Seminari si segua il metodo stesso e la stessa dottrina dell' Angelico. Fu certo una sventura che il Sanseverino morisse così presto, ma egli lasciò buoni e zelanti discepoli che seguiron l'opera sua ».

Quae verba satis superque sunt, ut Compendium philosophiae christianae, ac Ethicae elementa ei adnexa, magno laudum praeconio digna per omnes habeantur.

INTRODVCTIO AD PHILOSOPHIAM

1. Philosophiae elementa scribere aggredientes tria in primis investigemus necesse est: 1° quatenam sit huius scientiae natura, et qua in re a reliquis scientiis differat; 2° quot in partes dividatur; 3° quatenam sit eius praestantia, et utilitas.

2. Quod attinet ad primum, naturam philosophiae perspicere idem est, ac eius definitionem tradere. Philosophia ex vi nominis *studium* vel *amorem sapientiae* significat, id enim innuunt illa verba *φίλος*, et *σοφία*, ex quibus constat¹. Iam antiqui definiabant philosophiam, *scientiam rerum divinarum, atque humanarum, causarumque, quibus hae res continentur*. Ipsi enim nomine philosophiae omnium scientiarum complexionem designabant, sive universam humanam sapientiam, et philosophos appellabant eos, qui omnium rerum rationes reddere callebant.

3. At vero apud recentiores philosophiae nomine non universa cognitio humana, sed peculiare quoddam genus cognitionis denotatur. Etenim ipsi philosophiam pro prima scientia habent, sive, quod idem est, pro scientia, quae finem sibi praestituit tradendi ea, quae scitu necessaria sunt, ut mens humana cognitionem perfectam rerum in diversis scientiis assequatur. Haec autem sunt ultimae rationes, quae ad explicandum valent tum ipsam cognitionem, qua mens verum in scientiis speculatur, tum obiectorum, circa quae scientiae versantur. Iam ultimae rationes sunt suprema principia, seu causae, siquidem causae, quatenus a nobis cognoscuntur, rationes appellantur, et causae su-

¹ Hoc nomen a Pythagora, qui D circiter ante Christum natum obiit, invecum fuit. Ante illum philosophia appellabatur *sophia*, et philosophi dicebantur *sophi*.

premae, quippe quae postremo a nobis cognoscuntur, rationes ultimae vocantur. Quae cum ita sint philosophia, prout hodie accipitur, definiri potest hoc modo: *Scientia, quae agit de supremis principiis tum cognitionis humanae, tum rerum, quae humana ratione cognosci possunt*⁴. Illa verba, *agit de supremis principiis cognitionis humanae*, significant philosophiam de iis omnibus tractare, quae ad cognitionem humanam, prout haec in caeteris scientiis assequendis evoluitur, pertinent. Huiusmodi sunt leges, quibus mens humana actiones cognoscendi exercet, facultates, quibus ipsas exercet, vis, quae ipsis ad certitudinem in nobis gignendam inest, et notiones universales, quibus ceterae scientiae innituntur. Illa autem verba, quae sequuntur, nempe *agit de supremis principiis rerum*, denotant philosophiam tractare de Deo, de mundo universe spectato, et de homine; nam haec sunt suprema obiecta, ad quae reliquarum scientiarum obiecta referuntur, et ideo eiusmodi sunt, ut sine ipsorum notitia nullius rei perfecta scientia existere possit. Reliqua verba, quibus definitio clauditur, nempe, *quae ratione humana cognosci possunt*, eo consilio in definitione posuimus, ut philosophia a scientiis theologicis, quae Divinae Revelationi innituntur, distingueretur.

4. Ex his facile intelligitur philosophiam a ceteris scientiis in eo differre, quod in ceteris scientiis aliquod obiectorum genus cognoscendum suscipitur, philosophia autem statuit suprema principia, quibus omnes speciales scientiae innituntur, quia, ut diximus, inquit ipsa cognitionis humanae principia, et suprema causas rerum in omnibus scientiis cognitarum.

5. Quod spectat ad divisionem philosophiae, monendum est nos hic agere de philosophia *theoretica*, in qua traduntur ea,

⁴ Haec definitio ab etymologia Philosophiae minime discedit; nam, aiente s. Thoma, « ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis », I, q. I, a. 6 c.; quocirca scientia illa, quae cognitionem humanam, et res, quae humana ratione cognosci possunt, secundum suprema principia, investigat, *philosophia*, sive *sapientiae* recte appellatur.

quae in contemplatione rerum versantur, non verò de philosophia *practica*, quae appellatur solet *ethica*, et tractat de iis, quae ad operationem pertinent, sive de legibus universalibus morum, ad quas homo actiones suas accommodare debet, ut finem ultimum sibi a Deo praestitutum assequatur.

6. Iam philosophia theoretica complectitur *logicam, dynamilogiam, ontologiam, cosmologiam, anthropologiam, et theologiam naturalem*. *Logica* exponit naturam actionum nostrae mentis, leges, quibus ipsae exercendae sunt, et ordinem, quo sunt adhibendae in inquisitione veritatis. *Dynamilogia* tractat de facultatibus animae, atque in primis expendit ipsarum naturam, obiectum singulis earum proprium, et modum, quo suas actiones exercent; deinde ex horum investigatione viam sibi sternit ad duas maximi momenti tractationes, in quarum prima, quae dicitur *Ideologia*, inquit quomodo facultatum subsidio primas cognitiones rerum nobis comparemus, in altera autem, quae dicitur *Criteriaologia*, disputat de vi, quam ipsae habent ad veritatem rerum nobis patefaciendam. *Ontologia* versatur circa illas universales notiones, quibus ceterae scientiae innituntur. *Cosmologia* de mundo universe spectato disserit, *Anthropologia* naturam hominis expendit. Denique *Theologia naturalis* de Deo, Eiusque attributis ex naturali lumine rationis disputat, quantum infirmitas mentis humanae sinit.

7. Denique praestantia, et utilitas huius scientiae ex ipsa, quam explicavimus, eius natura perspicitur. Enimvero illa scientia ceteris humanis scientiis praestat, et maximam utilitatem in eas confert, quae de iis agit, quibus mens nostra opus habet, ut perfectam cognitionem in ceteris scientiis adipiscatur. Atqui huiusmodi, ut diximus, est philosophia. Ergo maxima est philosophiae praestantia, et utilitas. Neque scientiae dumtaxat, sed etiam artes ingenuae, ut, e. g., rethorica, poësis, grammatica, subsidio philosophiae indigent. Nam regulae, quae in qualibet arte traduntur, ut quoddam opus recte perficiatur, tulae, et rectae esse non possunt, nisi deriventur ex principiis rerum, ad quas referuntur. Atqui huiusmodi principia non nisi philosophus

cognosceri potest. Ergo non nisi philosophus ingenuis artibus perfectissime uti potest. Immo philosophia, etsi longe inferior Theologia revelata sit¹, tamen talibus famulatus officii erga istam fungitur, ut ipsi quodammodo necessaria sit. Has famulatus partes s. Thomas exposuit his paucis: « In sacra doctrina philosophia possumus tripliciter uti. Primo ad demonstrandum ea, quae sunt praeambula Fidei, quae necessaria sunt in Fidei scientia, ut ea, quae naturalibus rationibus de Deo probantur, ut Deum esse, Deum esse unum, et huiusmodi de Deo, vel de creaturis in philosophia probata, quae Fides supponit. Secundo ad notificandum per aliquas similitudines ea, quae sunt Fidei, sicut Augustinus in libris *de Trinitate* utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis sumtis ad manifestandam Trinitatem. Tertio ad resistendum his, quae contra Fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria² ».

¹ Potiora capita, quorum gratia Theologia philosophiae, ceterisque scientiis humanis antecellit, secundum s. Thomam, haec sunt. Theologia humanis scientiis antecellit primo ob praestantiam sui obiecti, quia ipsa « est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt. Aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subduntur ». Secundo, ob effectum, quem in animis discentium producit, quia « aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare, haec autem certitudinem habet ex lumine Divinae Scientiae, quae decipi non potest ». Tertio, ob nobilitatem finis, ad quem homines ducit, prout practica scientia est, nam « finis huius doctrinae, in quantum practica, est beatitudo aeterna, ad quam, sicut ad ultimum finem, ordinantur alii fines scientiarum practicarum »; I, q. I, a. 3 c. Haec adnotavimus, ut in ipso vestibulo adolescentulos ab errore Rationalistarum amoveremus, qui putantes dogmata Theologiae non esse aliud, quam praecipuas veritates philosophiae rudium captui accommodatas, philosophiam ipsi Theologiae anteferre non dubitant; unde illam cum Cousinio (*Introd. à l'hist. de la philos.*; *Oeuvr. t. I, p. 10, Bruxelles 1840*) fontem omnis lucis, ac auctoritatem omnium auctoritatum salutant.

² Super Boëtium de Trinitate, Proem., q. II, art. 3 c.

LOGICA

PROLEGOMENA

1. Logica definiri potest cum s. Thoma: « Scientia, quae est directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate, et faciliter, et sine errore procedat¹ ». Haec definitio in logicam *adquisitam* quadrat, quae probe distinguenda est a logica, quam *naturalem* vocant. Est autem logica naturalis quaedam dispositio animis insita, per quam facultatibus ad cognoscendum destinatis recte utimur.

2. Circa hanc scientiae logicae definitionem explicare oportet quinam sit ille *actus rationis*, in quo eius obiectum consistit. Porro mens nostra per tres diversas actiones ad rerum cognitionem pervenit. Hae sunt *notio*, qua mens res simpliciter apprehendit; *iudicium*, quo mens aliquam notionem de alia affirmat, vel negat; *ratiocinium*, quo ex duobus iudiciis alterum eruit, atque ita ex notis ad ignotorum notitiam progreditur. Huiusmodi actiones ita inter se comparantur, ut prior posteriori contineatur, eique inserviat, nam iudicium ex notionibus, et ratiocinium ex iudiciis conflatur.

3. Iamvero ex his nostrae mentis actionibus tertia est proprium obiectum logicae. Re quidem vera, finis logicae est mentem dirigere, ut ipsa in scientiis assequatur verum sine errore, facile, et certo ordine. Atqui mens nostra in scientiis assequitur verum ope ratiocinationis. Ergo finis logicae est mentem in ratiocinando dirigere, ac proinde ratiocinatio est proprium obiectum logicae². Quod si in logica etiam de notionibus, et iudiciis tractatur, haec ad examen revocantur, non prout per se, sed prout elementa ratiocinationis sunt. Etenim ratiocinatio, ut diximus, ex notionibus, et iudiciis constat; quapropter logicus perfectam

¹ In *lib. I Poster.*, lect. I.

² Hanc ob rationem logica a nonnullis definitur *scientia ratiocinationis*.

notitiam ratiocinationis acquirere non potest, nisi seorsum intelligat haec elementa, ex quibus ipsa conflatur.

4. Diximus autem logicam esse scientiam, non vero *artem*, quemadmodum visum est Auctori *Artis cogitandi*¹, aliisque. Et sane, scientiae, ut suo loco dicemus, proprium est colligere naturam, et affectiones rei ex principiis internis eiusdem. Atqui logica ex principiis, quae ratiocinationem constituunt, colligit, quomodo ratiocinationes componendae sint, ut liceat progredi ex noto ad ignotum. Ergo Logica est scientia².

5. Sunt alii philosophi, qui logicam non esse specialem scientiam, sed cum aliis scientiis confundendam esse docent. Nimirum ipsi considerant logicam velut instrumentum scientiarum, quia tractat de ratiocinatione, quae est instrumentum, per quod scientiae acquiruntur. At isti philosophi a vero aberrant. Et sane, scientiae, ut suo loco explicabimus, inter se distinguuntur ratione obiectorum, circa quae versantur. Atqui obiectum logicae ab obiectis reliquarum scientiarum distinguitur; nam logica modum efficiendi ratiocinationes generatim tradit, non vero conficit syllogismos, quorum ope quaelibet scientia circa propriam materiam assequitur verum. Ergo logica a reliquis scientiis distinguenda est. Ex his perspicitur logicam, etsi agat de ratiocinatione, qua ceterae scientiae utuntur, tamen ipsam potius scientiam instrumenti scientiarum, quam instrumentum scientiarum dicendam esse.

6. Cum haec sit logicae natura, ipsa immane quantum utilitatis in reliquas scientias confert. Etenim, quemadmodum artifex eo perfectiora opera concinnare valet, quo melius instrumenta artis suae novit; ita quisque eo facilius, et rectius scientias assequitur, quo penitiorum habet notitiam instrumentorum, quibus illae utuntur. Atqui logica suppeditat perfectam notitiam huiusmodi instrumentorum. Ergo Logica ad scientiarum perfectionem magno adiumento est.

7. Tractationem huius scientiae tres in partes dividemus. In

¹ *Ars cogitandi*, p. 1, Lugduni 1703.

² Illud vero tacendum non est, logicam, quemadmodum s. Thomas monuit (*Super Boët. De Trin.*, lect. II, q. I, a. 1 ad 3), ad artem quodammodo accedere, quippe quod, cum ipsa modos efficiendi enunciationem, syllogismum, aliasque, quae ab his oriuntur, et pendent, cogitationis formas, secus ac ceterae scientiae, tradat, quodammodo circa opus versatur.

prima de iis, quae ad *formam*, seu structuram ratiocinationis pertinent, agemus; quare primum exponemus elementa, quae syllogismum efficiunt, nempe *notiones*, et *iudicia*, sive *enunciationes*, deinde investigabimus leges, secundum quas ratiocinatio conficienda est, ut per illam ignotum ex noto inferri queat. In altera parte explicabimus quidquid spectat ad diversas species syllogismi ex diversitate *materiae*, sive enunciationum, ex quibus conclusio eruitur. Denique in tertia parte, quae *Methodologia* dicitur, inquiremus, a quibusnam principiis studioso cuiusque scientiae proficiscendum sit, et quonam ordine in suis argumentationibus progrediendum, ut obiectum suae scientiae consequi possit.